



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Vitae Sanctorvm**

**Lippeloo, Zacharias**

**Coloniae Agrippinæ, 1603**

Vita S. Gisleni Monachi, Instituti S. Basilij: Ex ea quæ est apud V. P. Laur.  
Sur. Floruit temporibus Dagoberti Regis, circa annum Domini 640.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-42787**

rum formidine fugā quærere viderentur, prius huiusmodi, coram Imperatore, fidei suæ cōfessionem fecere. Audi Imperator pessime. Nos omnipotēti Deo & Domino nostro Iesu Christo seruiētes, cuius tu vultu indignus es, deos tuos non colimus. Illi enim, qui cæli terræque conditor est, qui que nos suo sanguine à mortis sempiternæ liberavit imperio, omnis honor debetur & adoratio. Audiens hæc Maximianus, ira stimulante, præcepit latam antè sententiam velocius impleri. Statim ergò quidam in eius præsentia detruncati sunt. Reliqui fuga elapsi, cum omni festinatione per diuersa itinera Romam perrexerūt. Et Dominus quidē via Claudia à persecutoribus compræhensus, quintodecimo à Iulia Crisopoli milliario, circa fluuium Sisterionem capite plexus est. Qui statim virtute diuina truncū è terra caput subleuans, palmisq; per medium Sisteriorem deportans, atque ad iactum lapidis vltra progrediens, ibidem deposuit. Quo in loco sacra eius ossa recondita, multis, quacunq; ægritudine detentis, curationem contulerunt.

*Praeclara et  
constans eo-  
rū confessio.*

*Quidam trā-  
cantur, &  
reliqui Ro-  
mam fugi-  
tō.*

*S. Domini-  
nus plectitur  
& caput suū  
per fluuium  
portat.*

*Operatur mū-  
racula post  
obitum.*

**VITA S. GISLENI MONACHI, IN-** *Vide C. Bas-  
stituti S. Basilij: Ex ea que est apud V. P. Laur.  
Sur. Floruit temporibus Dagoberti Regis, circa  
annum Domini 640.* *rōn Notat.  
ad Martyr-  
Roman.*

**E** GREGIVS Christi confessor Gistenus, *9. Octob.  
Patria eius.*  
Christianis Græcis ortus parētibus, puer  
Athenas literis imbuendus est missus: vbi  
liberalium artium disciplinis perfectè institu-  
tus, nè malitia mutaret intellectum, è peri-  
culo



*Tradit se  
fuito D.  
Basiliij.*

*Initiatur  
sacris.*

*Monetur ab  
Angelo ut  
Romam per-  
gas.*

*S. Petrus ei  
apparet.*

iosissimis seculi fluctibus ad tutissimum reli-  
gionis portum lætus confugit. Atque aliquam-  
diu illic sancti Basiliij instituto viuens, optima  
quæque ita studiosè humiliterque consecraba-  
tur, vt fratribus virtutum egregia de se exem-  
pla præberet. Interea, Deo vitæ eius cursum  
moderante; quò posset aliorum infirmis cura-  
dis animis idoneus adhiberi modicus, per om-  
nes ordinum gradus, postremò sacerdotio ini-  
tiatus est. Quo munere dotatus, cœpit tanquã  
sequester quidam inter Deum & homines con-  
stitutus, maiore multò animi vigilantia sibi  
intendere, vt per omnia diuinæ maiestatis oc-  
culis placere posset.

Quadam autem nocte, precibus & diuinæ  
contemplationi solito feruentius insistens, An-  
gelica visione monitus est, vt posthabito nata-  
li solo, Romam, Apostolicis triùphis celebrè,  
inuiseret; illic certiùs cogniturus quo ministe-  
rio gratum Deo obsequiũ præstare posset. Nec  
mora; vir diuinus honesto stipatus comitatu,  
Romam abiit: vbi cùm beatissimorum Aposto-  
lorum limina venerandus lustraret, eaque lar-  
go piarum lachrymarũ imbre infunderet, cæ-  
lestis aulæ ianitor ei apparuit, aitque ad eum:  
Est pagus qui ab amne præterfluente Hainau  
appellatur. Ibi tuæ habitationi noueris diui-  
nitùs destinatum locum illũ, quem incolæ Vr-  
fidungum vocant, ab vrsã cum catulis illic de-  
prehensa. Tu illic, meo & fratris mei Pauli no-  
mini, condito oratorio, multas Deo lucraberis  
animas: vitæque munere sanctè perfunctus æ-  
ternũ cum Angelis in cælis lætaberis. Hac vi-  
sione exhilaratus vir sanctus, ex omni comitũ  
turba,



curba, duos sibi tantum retinens Lambertum & Bellirium, nudus nudum secuturus Saluatorem, ad locum sibi ab Apostolo indicatum properavit. In eo itinere perlufrans sacra monasteria, vrbes & castella, multa de beatissimi Amandi confessoris fama celeberrima audiuit: cuius sanctitatis odore illectus, ad eum abiit, itineris sui causas exposuit: eiusque benedictione munitus ad montem, quem Castri locum vocant, profectus est. Cumque putaret eum esse locum à Domino sibi promissum, coepit extirpare arbusta, ut templum illic construere Deo feruituris idoneum.

*S. Amandi  
vita extat 6.  
Februarij.  
Inuist S. A-  
mandum.*

Per id tempus Brabantia Dagoberto Regi iuendas valde exhibebat venationes. Accidit autem ut canes eius venatici immanem quandoque insectantes vrsam, eam in angustias compellerent: quæ mortis periculo circumueta ad beatum eremicolam Gislenum confugit, & sub eius tunica, quam ex arboris ramo propter laborem suspenderat, sese reposuit, ibidemque nihil canum latratu exterrita, securè quieuit. Ea re commoti venatores, ministri Regis, contumeliosè impieque virum Dei, & ministros eius proscindunt, aiuntque magicis imbutos artibus; dignos qui Regis iudicio poenas luant. Accessit tandem etiam ipse Rex Dagobertus, nonnulla indignatione commotus; sed mox ut Gislenum Dei sacerdotem esse, eoque religionis ergo commigrasse cognouit, relicta fera, & à tanto sacerdote accepta benedictione cum suis recessit. Viro autem beato in suum opus incumbente, vrsa, arrepta sporta, in qua sacræ vestes complicatæ erant, pedetentim abscessit. Cernens id

*Vrsa à canibus dilanianda sub eius pallio mortem euadit.*



Gislenus, indignabundus quasi, arrepto scipione, feram insequitur, ac duce aquila, quæ se diuinitus offerebat, (nam viæ ignarus, quò tendendum esset dubitabat) ad dumosum mireque condensum peruenit locum, qui, ab eo, quòd vrsa suos ibi nutrire solebat catulos, Vrsidungus vocabatur. Eo loco dumetoque diligenter lustratis, vir sanctus inter catulorum complexus reperit vestimentum nihil planè læsum aut contaminatum. Vndè non tam de vestimento, quàm de loco diuinitus antè designato iamq; inuento, vehemèter gauisus, antè omnia Christo superisque, vt par erat, gratias egit; deindè fera in Christi nomine abire iussa, locum à vrsibus repurgauit: templumque Apostolis Petro & Paulo edificauit: quò cum esset à sanctissimis Pòtificib. Amando & Aurberto, more ecclesiastico celeberrimè dedicatù, Cellam appellari voluit. In ea verò Cella, eximius humanæ laudis contemptor, se abdidit soli que Deo cognitus, fame ac frigore corpus suum assidue castigauit: vt spiritui obediens, cælestium rerum influxus faciliùs perciperet.

Per id tempus \* Magdalgarius, Comes Hannoniæ illustris, diuino spiritu ad mundi huius contemptum incitatus, cunctis voluptatibus fluxisque honoribus nunciù remisit, & Aurberti Episcopi manibus tonsus, in Alto monte monastico indutus habitu, spiritalis militiæ bellum suscepit. Eius verò vxore castè in habitu seculari degente, & filio prædia strenuè gubernante, B. Gislenus à Domino est admonitus, vt eam inuiseret monitaq; salutis ac mundi contemptum diligenter inculcaret. Fecit Gislenus alacriter

*Vrsidungus  
vnde dictus,  
locum quidam.*

*Cella Aposto-  
lorum à Gisle-  
no extruitur*

*\* Magdalgarius,  
apud  
Joan. Molan.  
Vincentium.  
Magdalgarius  
Comes mo-  
nachus ere-  
mita.*



ter vt erat iussus, sitientiꝫ animæ, æternæ vitæ pocula abundè obtulit; quibus VValdetrudis (sic enim vocabatur) sobriè inebriata, totam se ad virtutis & bonorù operum studia accòmmodauit. Atque vt totam se à mundi laqueis exueret, còsilio viri Dei Castri locum petijt: in quo exstructa cellula, siue monasteriolo cum religiosis eiusdè instituti feminis, castum in primis & humilem Deo famulatum exhibuit: ac Cameracum profecta à Sãcto Autberto Episcopo sacrum velamen, quod est innocētis vitæ symbolum, suscepit. [Porrò memorata Cellula hodie est in primaria Hannoniæ vrbe; Montibus nimirum; Ecclesia S. VValdetrudis; conuersa in Canonicorum nobilium Collegiũ: cuius perpetuus Abbas est Comes Hannoniæ.]

Pergebat interim beatus Gislenus diuini verbi iactare semina: cunctosq; , quos poterat, ab huius mundi amore abducebat, & Christo coniungebat. Et opportunè sanè ad beatam VValdetrudem accessit, saluberrimè eam admonens, vt sororem suã Aldegundem Deo lucrari conaretur, filiasq; suas Aldetrudem & Madelbertam Agno immaculato consecraret. Non surda profectò aure accepit VValdetrudis, quin statim hortatur Aldegundem: quæ cù sororis tum sancti Patris Gisleni monitis virtutibusq; incitata, in Malbodiense cœnobiũ, quod ipsa ex hæreditarijs suis bonis condiderat, Christo perpetuo virginittis voto seruitura, concessit. [Et quidem hodie Malbodium est oppidum Hannoniæ; & in eo celebre Canonicarũ nobilium, siue Dominarum Collegium: quarum Dominio ipsum oppidum subiicitur.

*VValdetrudis vxor eius monialis.*

*Eximius animarũ Zelus in S. Gislino.*

*Conuerso S. Aldegundis Virginis.*



Tandem verò cum iam bono odore virtutis beatissimi Gisleni, tota esset repleta Ecclesia, sentiens vir Dei obitus sui tempus adesse, cunctis Ecclesie sacramentis ritè munitus, ita è vita excessit ut maximum sui desiderium cum multis lachrymis cõiunctum relinqueret. Corpus eius in beatorum Pauli & Petri Apostolorum Ecclesia, quam ipse extruxerat, humatum est: ubi sacris eius meritis morbidi omnes sanitatem recipiunt.

*Obitus S. viri, miraculis postmodum celebris.*

*Vide C. Baron. Annal. Tom. 2. anno Christi 297. Marcel. Papæ 1. Diocle. & Maxim.*

*Imp 14. 10. Octob.*

*Amandus Aelianus et Carausius seditiosi in ordinem rediguntur.*

MARTYRIVM S S. GEREONIS ET SOCIORVM eius: itemque Victoris, Cassij, & Florentij multorumque aliorum: Ex eo quod Helinandus celebris istorum temporum auctor conscripsit.

MAXIMIANVS Augustus, coadunato exercitu, permixto tamen fidelium & infidelium cœtu, festinus Alpium iuga trãsgrediens, Gallie appropinquabat; soloque aduentu suo, Amando & AEliano ducibus tumultus perterritis, seditionis illius tempestatem facilè sine sui exercitus damno sedabat. Comperto verò quod Carausius quidam nobilis insidias cõtra Romani regni fines moliretur (qui tamen Procurator constitutus erat prouincię, quæ est iuxta Oceanum, ubi Franci iam secundo à suis sedibus expulsi, iuxta Gallorum & Saxonum confinia confederunt) misit illuc per Rheni fluminis alueum, partem sui exercitus, cuius militari virtute nefarius cassaretur inceptus. In quo itinere præcipuos belli Domini ducēs, Gereonem, Victorem, Cassium & Flo-